

TABULA IX. DE ELEMENTO.

Doctrina de Materia non im-
merito doctrina de Ele-
mento subjungitur, quia
Elementum proprie & pra-
cipue significat. I. MATERIAM
QUANDAM EX QUA. Unde
Aristoteles lib. VII. Met. c. 17.
Elementum id esse dicit, in
quod inexistens (aliquid) di-
viditur, ut (in) materiam.
Latius autem materia patet
elemento, nimirum licet om-
ne elementum materia
sit, non tamen omnis mate-
ria elementum: sicut cor-
pus organicum & partes e-
jus, ut caput, thorax, venter,
sunt materia hominis, non
vero elementa ejus. De
Elemento autem notetur

I. Quod sumatur dupliciter vel

PROPRIE, & sic iterum vel

1. Late & generaliter, ut hoc loco, sc. pro quolibet, quod alicui primum inest, Arist. V. Met. c. 3. sive sit substantia, sive sit accidens. Ita late acceptum Elementum definitur l.c. hoc modo; *Elementum est id, ex quo aliquid componitur, cum primum inest, ac indivisibile specie in aliam speciem.*

Tria requiruntur ad Elementum vi adductæ definitionis. I. Ut ex eo aliquid componatur, cum inest: quâ ratione, convenit Elementum cû materiâ ex quâ in genere; excluditur autem per hoc 1. *privatio*, quæ utut ab Arist. l. 12. Met. c. 14. numeretur inter Elementa, per se tamen ac proprie elementum non est, hoc ipso, quod in re non manet; sed saltim *ἀνόπως* & improprie ita vocatur. 2. Excluduntur etiam ab Elementi definitione *efficiens & finalis*, quæ etiam rei constitutionem non ingrediuntur.

II. Requiritur ad Elementum, ut primum inest. Hinc rejiciuntur partes, quæ non sunt primæ, sed constant ex aliis prioribus, cujusmodi sunt, quas heterogeneas & dissimilares appellamus, ut *caput, manus, pes*, & id genus aliæ, quæ constant ex diversis similibus. Sic Elementa Syllogismi non sunt propositiones ejus, utpote, quæ ex terminis componuntur, & sic non primæ insunt, sed termini iis priores. Notetur hic, aliquid inesse alteri primo, bifariam accipi posse, vel quod primo inest simpliciter, quemadmodum v. gr. materia & forma corporibus naturalibus inesse dicuntur; vel quod inest primo in genere sensibilibus, & ita elementa physica corporibus mixtis insunt, quia hæc ex illis tanquam primis sensibilibus componuntur, sive jam aliquid inest primo simpliciter, sive primo in genere sensibilibus, rectè tamen Elementum dicitur.

III. Requiritur, ut Elementum sit aliquid indivisibile specie in aliam speciem. Notanter iterum dicitur, *indivisibile specie*. Nam indivisibile etiam dicitur dupliciter. 1. *absolutè*, quod simpliciter dividi nequit, quomodo punctum lineæ & momentum temporis aliquid indivisibile est, quæ significatio huc non pertinet. 2. dicitur aliquid indivisibile *secundum quid & certò modo*, quod scilicet dividi non potest in partes specie diversas; & hoc iterum bifariam, vel quod planè nõ possit dividi in alias partes specie diversas, quomodo materia prima indivisibilis est in alias partes specie differetes, utut aliàs in partes integrantes dividi queat; vel quod non possit dividi in alia corpora specie distincta, quomodo quatuor Elementa Physica dividi non possunt in alia corpora simplicia specie diversa, utut aliàs in materiam & formam tanquam partes specie diversas dividi etiam possint; Utròque ergò modò h.l. *indivisibile esse in aliam speciem est intelligendum.*

2. *Strictè*, ut in physicis, sic Elementum est corpus naturale simplex, quod ingreditur alterius corporis constitutionem. Latius verò patet Elementum *Metaphysicè* quàm *Physicè acceptum*. In Physicis est tale corpus naturale, ut dictum. In Metaphysicis sumitur pro quòvis, quod alicui primo inest, sive sit substantia, sive accidens.

IMPROPRIE, & per translationem Elementum dicitur quodvis minimum quod ad multa utile est, ut docet Arist. & hæc ratione loci universales, unde multa ducuntur *enbymemata*, elementa appellantur l. 11. Rhet. c. 26. Theophrastus, ut habet Alexander comm. in l. 1. Topic. locos *Dialecticos* per Elementa definit.

II. Notetur, quod Elementum (Actu, ut literæ in voce.

fit in eo, cujus est Elementum, vel

Potentiâ, quomodo quatuor Elementa corporibus mixtis inesse dicuntur; quia non secundum totam suam essentiam, sed saltim, secundum aliquam essentia partem insunt.

TABU-